



36
13/4

275

DIALOGVS MYTHOLOGICVS
Bartolomei Coloniensis,
dulcibus iocis, iucundis salu-
bus, cōcīnisq; sentētiis re-
fertus, atq; diligenter
nuper elaboratus.

ADRIANVS VVOLFHARDVS TRANSSYL

uanus artiũ & philosophiæ p̄fessor, Hilario

Vuolfhardo fratri q̄ amātissimo. S.D.

CAIVS Iulius Cæsar, præter clementiã, quæ maxima in eo
fuisse p̄hibetur, plenis gloriæ uelis, cum scriptoribus aliis, tũ
Plynio effertur Hilari iocũdissime, Quod scribere & legere,
simul dictare, & audire. Epistolas uero tantarũ rerũ quater/
nas pariter librariis dictare, aut si nihil aliud ageret, septenas
solitus fuerit. Thucydidi uero Herodoto / lactæ. T. Liuii elo
quentiæ, & ut cæteros illis nō impares omittā. Plauto tantũ
laudis ex suaui uerborũ lepore accessit, ut Varro musas, Epi/
stolonis sententia, Plautino dicat sermone locuturas fuisse, si
latine loqui uellēt. Nec eo inficias, q̄a Gracchorũ eloquētiæ
multũ contulit (teste Quintiliano) Corneliã matrē, & Lelii,
atq; Q. Hortēsi filias / ob paternã in loquēdo eloquentiã ad/
auctã plurimũ laudatas, siquidē qd p̄ deos imortales, multa
nosse, multa legere, si eloq̄ neutiq̄ ut par est ualeas / confert.
Siq; suadæ gr̄a (quã Pericli in labris seditauisse classici scrip/
tores testant̄) penitus deficit: qua sine m̄ca oīs est oīo, cum
iidē sapiētes & eloquētes (ut Fabius ait) esse debēt. Hinc iure
optimo Chrysippus nutrices infantibus sapiētes, & quantũ
res paterēt optiās eligi uoluit. Natura enī tenacissimi sumus
eorũ, quæ rudib⁹ annis p̄cipimus, ut sapor quo noua imbuias
durat. Cōtende igit̄ manib⁹ & pedib⁹ hilari dilectissime, hoc
deorũ munus, quo solo cæteris aīantibus differimus, dũ uita
tenellula supest̄ assequi. Et Bartolomei huius, uiri undecũq;
doctissimi / solito elimatiore epistolã manib⁹ subinde reuolue
re, Sidoniũq; q Epimenidis somnũ dormiuit, q̄ fuerit somni
culosus experiaris. Postremo (qd oīm maximũ ē) officii oro

in parentē nostrū mihi gentilē / hoc est meo nomīe insignitū
neq; immemor esto, neq; eius nomē dū uita superit in spon
giā incūbat: Est enim perq̄ laudabile Charites, & illud anti
pelargein imitari. Vale Viēnæ Pānoniæ. 9 Cal: Oct. 1512.

Eiusdem Epigramma.

Quid Tricas Apinas, & mille uolumina uoluis
Barbarica passim perlita uoce puer.

Quid triuisse iuuat uitæ bona tempora? talpa
Cæcior / atq; lyris euigilasse Lyris.

Quid te Scylla rotat? quo ducit sæua Charybdis

Quo pictæ muro teq; trahunt nebulæ?

Nonne uides ut lerna palus blanditur apertis

Faucibus, eructat deinde uenena suis?

Vtq; Megera ferox tenebris perfundit ocellos.

Ne rem uel modicam tangere acu ualeas.

Vt tua rus sapiant non urbem uerba: nec unq̄

Mellitos possint ore ciere modos.

Si tibi consultum me iudice concupis ergo

O puer, & phrasim noscere rite uoles.

Hoc opus exculto contextum sæpe lepore

Perlege, continuo plurima dona feres.

EPigrāma Bart. Col. In osiores studii Humanitatis.

Garrula barbaries prius arctophilaca Booten

Arctois plastris pollice deiicies.

Quam deturbabis a monte biuertice doctos,

Musarum coetus laurigerosq; uiros.

Hos si non cessas uerbis obtundere aselli,

Aures temporibus figet Apollo tuis.

BARTOLOMEI COLONIENSIS EPISTOLA

Mythologica plærifq; lepidis sentētiis, & ad cōmu/
nem sermonū usum accōmodatissimis refer/
ta, & miris & ppe adeo ridiculis iocis,
cauillationib⁹, salibusq; & face/
tiis respsa, ad Pācratiū suū.

Bartolomeus Coloniensis Pancratio suo. S. D



Vod litteris tuis quas ad me iampridē dedisti
hactenus non (ut debebā) respōdi, non meæ
negligentiæ, sed potius diuersis (quibus disti/
neor) negotiis ascribas uelim, quia tot & tātis
distrabor occupationibus, ut uix reficiēdi corpusculi mihi tē
pus opportunū superet, quod facili opera prospiciet quisq;
uidebit me) præter labores quibus quottidie conficior) scho
lasticos tam ordinarios q̃ succursuos ac subsecūdarios præ/
terq; perpetuos sudores, quos per dius & pernox bonarum
artium studiis impendo, rem domesticā ingenti solitudine
curare, præsertim in hac tempestate, qua non modo rei fru/
mentariæ, uerx & quorūuis opsoniorū caritate ubiuisgentiū
(ni fallor) laborat. Quod difficile (ut in te ipse experiris) fa/
ctu est, quodq; reuera arduū mihi existimat. Hic factū est
ut litteris tuis ad me p tabellariū tuū platis minie (ut dudū
expetisti) scriptis respondi. Sed de his satis. Cæterx nepotē
tuū Paulum (quē mihi rātopere cōmendas) in meā curam
eatenus suscipiam, quatenus literis tuis per eū ad me platis
mihi significasti, existimans me opportunā occasionem esse
nactum, qua animū meum erga te gratum declarare possē,
quaq; tibi pro tuis immortalibus beneficiis in me collatis,

mutuā uicem aliquādo repēdere queā, quod ante hūc diem
(quoniam occasio mihi denegata erat) efficere non potui.
• Librum Astronomicon Marci Manlii/cum codice Higinii
de syderibus (quos tantopere diu iam cupidus expectasti)
ad te usq; perferendos tradere curassem, si usquam gentium
eos apud bibliopolas, aut magistros artis librariæ uenum
expositos offendissem. Codices uero tuos, & præcipue Si/
donium (quē anno ab hinc tertio a te cōmodato accepi) tibi
remitto, qui hætenus apud me uitam somno similimam in
cubiculo suo mediussidius exegit, cuius somnolentiam ego
iniquo ferens animo, crebrius sublata uoce exclamaui inge/
minans, Sidoni euigila, Sidoni euigila, iam enī sol medium
hemisphærii nostri cōscendit axem, iam in horam usq; me/
ridianam proh pudor obdormisti, iam satis superq; som/
no indulxisti. Vbi his uocibus nihil profeci, cepi tandem ta/
citus mecum uolutare, quidnam causæ fiet, q̄ hic homun/
cio totas noctes, hem, quid noctes, immo totos dies cum ip/
sis noctibus absq; ulla temporis intercapedine (qd̄ mirū est
dictū & difficile creditū) perquiescit, ut mortuo consimili/
or q̄ sopito uideatur, forsitan papaueris semina auidis (ut
aiunt) faucibus deglutiuit, aut soporiferum (nescio quē) po/
tum magnis haustibus auariter in se ingurgitauit. Dū hæc
identidem cogitabundus replico, optimū tandem factū ui/
sum est mihi cubiculum eius inscendere, & eum profundo
somno excutere, Vbi ad hostiolum cōclauis peruentū est,
iterū sublata uoce occepi inclamare, Sidoni euigila & surge
& cum dicto fores cubiculi duobus digitis a pollice proxi/
mis leniter pulsaui, quibus semel iterumq; & deinceps in/
casum pulsatis, mox manu in marsupiū (quod leuo femo/
ri meo adhærebat) iniecta, clauem exprompsi, expromptā

seræ ostioli immisi, quia clavis immittendæ foramne patebat. quæ immissa ac circumacta in duas desiliit partes, quarum alteram manus & alteram sera detinuit. Quo uiso fremebundus steti & ualidis pugnis cubiculi fores adeo pulsaui, ut non modo hostiolum, uerum & tota cubiculi fabrica, instar arbusculæ uentorum flatibus actæ cōtremeret. Vbi his etiam pugnorum ictibus nihil profeci, aliquantulum retro abiēs a foribus cubiculi discessi, ut uehementiore insultu (more arietum, qui cornibus obuersis concurrere gestiunt) fores obtrudendo effringerem, aut saltem eas ex cardinibus eiicerem. Quibus tandem meorum impulsu pedum e cardinibus suis exturbatis, dicto citius incubiculum ingenti strepitu bachabundus introrupi, quā maxime occlamitās. Heus ubi es tu Sidoni? qui me pulsantem in cubiculum non intro miseris, Quid rerum agis furcifer? quod re dii deæque omnes perdant, Cur mihi non loqueris? cur obmutescis? Elinguis ne es? qui graculo soles esse garrulior, & quauis rana loquacior. Et cum dicto utranque manum in uestem stragulam, linteamque grabatuli conieci, hominem superne: ad imos usque pedes denudans, ut eum non Sidonium, sed gymnosophistam quempiam Indum, si coram stetisses, putasses. Hæc intubaui uerbo, non gymnosophistam, sed lingneolam hominis figuram, ob animi torporem, & mentis inertiam credidisses, Eo igitur sic detecto, & nullum signum uitæ, ne dum somni præ se ferente, occepi uehementer addubitare, mortuus esset, an uiuus, an inter utrumque constitutus (si rerum natura pateretur) neutrum ageret. Dum hæc identidem dubitabundus reuoluerem, putaui tandem optimo consilio factum iri, si propius accedens, uitam eius si quam haberet solerti indagine uestigare, statimque quantum solertissime

potui, uenulam dextri brachii instar medici pertrectaui, ut
saltem uitam, si qua foret, in ipsis uenarum palpitationibus
inuestigarem, Sed ubi uenulae digitis meis contrectatae, nul-
lum subsultum, nullumq; uitae latentis signum dedere. Fue-
runt enim (quod est mirabile dictu) perq̃ quietae, Mox con-
uertere manum meam a uenis, ad leuam pectoris eius papillā,
sub qua (ut medici tradunt) corculum hominis dilitescit, ut
calorem uitalem si uspiam in praecordiis latitaret praesen-
tiscerem. Manu igitur mea ad pectus eius admota, obtulit
sese mihi calor quidam admodū languidus, qui ut mihi ui-
sum erat, non fuit certus index uitae, praesertim quum ne mi-
nimum quidem anhelitus flatum potuerim deprehendere.
Nouo igitur consilio inito, sumpsi molliculā quandam plu-
mam, quam in nares eius conieci, ut periculum facerem, ui-
ueret ipse nec ne, quae ubi in nasum eius coniecta est, statim
propellebatur in auras reciproci flatus respiratione. Quod
fuit mihi potissimū uitae eius argumentū. Quo habito fa-
ctus omnis morae, q̃ ut credi possit impatientior, statimq;
quantū maxime potui in aures eius exclamaui, ingeminās.
Sidoni euigila, Sidoni euigila, ut nō hominis uocem te au-
dire, sed potius tauri boatum crederes. Ad hanc tamē uocē
nō magis experrectus est, q̃ uitulus marinus altissimo som-
no oppressus, ad lenē Zephyri susurrū euigilat, sed ubi his
clamoribus nihil cōsecutus sum, iniecta tandem in eum ma-
nu aures eius unguibus meis uellicare adortus sum, quibus
uellicatis ac pene peruulsis, mox occepi hircinum eius bar-
bitium prope ad pubem usq; porrectum per interualla cō-
pilare, Et ne caput eius, quod reliquū erat, ab iniuria immu-
ne esset, iniectis manibus tam antependulos q̃ retropen-
dulos crines, cute tenus me Hercle euulsi, ut te nō caput sed

cucurbitā, aut glabellam quandā rapā uidere putares, ipse
tamen quasi statua insensibilis perdurauit. Eo igitur sic in/
sensibiliter perdurante, occepi mecū tacitus reputare, hunc
hominem esse lethargicum, seu carminum auocamento so/
poratum, & ad obliuionem præsentium externatum, seu a
Circe, quæ Vlyssis socios in pluriformes beluas carmini/
bus mutauit, obcantatum, & in somniculosum glirem trās/
formatum. Sed inter cogitandum liquido cognoui, eum nō
obcātatum, neq; lethargicum, sed morbo socordiae a uertice
capitis ad imas usq; plantas occupatum. Quod cum explo/
ratum haberem, mox indignabūdus oculos circūtuli, locos
quosq; cubiculi diligenter perscrutans, ut si quem baculum
uspiam uiderem/arriperem, quo huic mastigia, socordiā de
cerebro possem deturbare, Inter perscrutādum obtulit sese
mihi pertica quædam brachiali crassitudine, qua olim (ni
fallor) ædium fores obfirmabantur, quā conspicatā sumēs
in speciē prælii manus obarmaui, & libratis ictibus uerbe/
ra uerberibus accumulans/magnos agones instar palæstri/
tæ desudaui, ferire tantisper eum decreui, donec eū e somno/
immo ex somnio, & ut rectius dicam/ex morte resuscitem,
existimans fustuarium meum esse caduceum Mercurii, quo
ipse mortuos ad uitam pristinam reuocare solet. Hic ubi fu/
ste rem agi tandem persenserat, & se libratis fustuarii icti/
bus/haud secus q̄ ferrum in incude emoliri cognouerat, q̄
maxima potuit uoce exclamauit, ingeminās. Arma fer hos/
pes, arma fer hospes ac suppetias, mihi accurre. Exclaman/
ti inquā, En arma allata (fustuarium offerens) quasi cecuci/
entibus/immo somnolentis oculis non uideas, bono sis ani/
mo ac tranquillo, ego me Hercle faciam/ut medullitus p̄sen/
tias. SIDO. Quis es tu sceleste inqt, qui me miserū plagis

diuerberasti, adusq; uitæ meæ periculum? BAR. Quærēti
inq; Ego sum hospes tuus o Sidoni, enitens te hoc caduceo
ex p̄fundo somno/immo ex morte, ad pristinā uitam reuo/
care. SIDO. At te diespiter inquit diiq; oēs perdant. Non
hospes meus sed hostis es, qui me nodoso hoc fuste animā
ex penetralibus uiscerum euomere cogis. Quum tamē non
modo ullo facto, sed ne tantillo quidem dicto meo leſus sis,
ut uidereris te merito ultum ire, esset satis superq; acerbum
toleratu, si me depalmasses, aut pugno malas meas percuf/
fisses, aut flagris scapulas meas cecidisses, nunc stas fusticu/
lo (quo latera mea dedolasti) instructus quasi esses præliū
capessurus. O magne Apollo confige hunc nequissimum
ſagittis tuis, quibus Pythonis uiscera traiecisti, ut scelerum
suorum pœnas uel uulnere/ uel ueneno luat, uel potius cru/
ci (ut inter terram atq; cœlum sit p̄ſilis) suffigatur pedibus
ſupinatis, ac sursum elatis, capite deorsum in terrā deurgē/
te, manibus post terga reuinctis, oculis fascia obuelatis, &
duobus canibus pastoriciis hinc & hinc per pedes poste/
riores pensilibus & in rabiem efferatis, ut uiuens canes, &
mortuus coruos carne sua exaturet, ut sic corollarium ſce/
leribus suis condignum sibi comparet, qui dignus Hercle
dignus esset, ut binis quadrigis reuinctus in diuerſa nitenti/
bus dilaceraret. BAR. Vide sis quā mox uapulare uis, nisi
actutum obticeſcas furcifer, noſti enim ut opinor neminem
poſſe crabrones impune irritare. Nam si hasce diras deuo/
tiones in caput meum imprecari non deſineres, ego hodie
faciam ut medius fidius omnium mortalium longe miserr/
mus ſies. Et cum dicto clauā libraui/ ſimilis percufſuro, mi/
nitans ei plagā, ſed nō incutiens. Quod cū uidit/ dicto citius
puluillū quo ceruicē ſuffulciebat arripiēs/ ictui uelut umbo/

nem opposuit, exclamādo quantū maxime potuit ingemi-
nans. O magne Apollo adiuua me. O magne Apollo adiu-
ua me. Iam enī mortē oppetiā, ni solito mihi adiumēto suc-
curreris, eo sic uociferante, ego totus in Cachinū soluebar/
ut (uiribus meis nimio risu labefactis) ipsa claua suo pte pō-
dere degrauata/ manibus meis esset elapsa. Quā tamē tan-
dem de sub pedibus meis risu parūper effrenato, in manum
resumpsi sic inquiēs. O Sidoni cur a somno deorū placidis-
simo ad Apollinē defecisti? nunquid sub ductu & auspicio
somni hucusq; militasti? responde obsecro mi Sidoni, satius
esset te (mihi crede) a somno ad Herculē defecisse, q te hoc
fusticulo meo/ prima certaminū rudimenta erudiuit, & ut
opinor (quod tute ipse fateberis) apprime edocuit. SIDO.
Hercules te pessimū, inquit, obtundet claua sua trinodi, an-
tea me diris uerberibus contudisti. Nunc uero multiformi-
bus contra me uelitaris ridiculis, dii deaq; omnes/ superi/ &
inferi, & medioximi te pessimū pessime perdant, & a supe-
ris auris per decliua uoraginum terræ in confluentem co-
cyti & Phlegetontis detrudant, ut ibi in lachrymarum ma-
dore, & ignium uapore tuorum scelerum pœnas in æter-
num luas. Tū ego. Pape deus inquā quid ex te audio, hoc ci-
ne præmium mihi & hospiti tuo & medico rependis o Si-
doni? qui te hoc perpetuum triēnium, quasi somniculosum
glirem in ædibus meis saginaui, & insuper salubri medela
curaui, dignus hercle dignus ob animi tui ingratitude
extrema sustinere, & si quid extremo est extremius, dii bo-
ni quid hic monstri alit, quum dicto opus est pythagoris/
sat, & quum tacito opus est epicurissat, & mirū in modum
blaterat, ut incertum sit an taciturnitate sit inuisior, an loqua-
citate molestior. Tū ille. Proh Iuppiter hospitalis, quid di-

cam. Quis unq̃ hominū talē hospitem habuit, qui suis fuf-
tibus hospites, ne absq; opertorio in lectulo cubent, coope-
rit? qui etiā licet æquo animo ferat, tuniculā hospitis sui ad-
uentantis esse unicolorē, nullo tamē pacto ferre potest, cuti-
culā eius esse unicolorē, sed illam molitur diris uerberibus
tam uersicolore reddere, quā sunt peristromata picta, aut
tapeta beluata. Mallē sub axe hyperboreo, aut libyco agere
q̃ in ædibus huiuscemodi hospitis immorari, satius duce-
rem (ita me dii bene ament) panem cibarium, immo hercle
furfures incretos, ac sordidos, multoq; lapide salebrosos mā-
ducare, Et aquam palustrē cōcaua manu potitare, q̃ mellita
huiusmodi hospitis edulia absumere, & uinū hippocraticū,
aut quodlibet aliud nectar gēmatis pateris ebibere. Nūquid
satius mihi fuisset in agri cespite, aut in fori silice, q̃ in hoc
grabatulo cubitasse? in quo haud secus, q̃ arcadium pecus
fuste dedolatus sum, ab hoc præsertim homine (si fas est eū
hominem dicere) cuius feritati cedunt ara Busiridis, stabulū
Diomedis, & mensa Lycaonis, Cuius ædes sunt taurus Pha-
laridis, immo hercle uestibulum regionis acherōticæ, in qui-
bus rectius Eumenides degerent q̃ homines. Edepol certe
scio q̃ Vulcanus, sol, luna, dies penosiores nullas illuxere
alteras. Ehem & quod pene præterieram, hic crocodilus
nō modo se hospitem, uerum & medicum agere fabulatur
Quid potest dii boni esse absurdus auditu, & difficilius
creditu q̃ illum medicum agere, qui costarum crates dis-
sipat, laterum compages discutit, & lumborum robora
debilitat, hic meo iudicio non Hippocratem, sed carnificem
agit, non medicinam, sed carnificinam exercet. Cui ego. Dic
cucule dic, solent ne medici (cum facto opus fiet) purulenta
tubera scalpellis excidere? aut, ignitis ferramentis perurere

aut (quod horridū est dictu, horridius uisu) hominū mem-
bra ferrulis refecare? SIDONIVS. Quorsum hæc inquit
hominū nequissime? BAR. Vt tu pecus inquam scias me-
dicum non semper ampullam oleariam ægris membris ad-
hibere, sed quandoq; (cum facto opus fiet) ferram/ scalprū/
& laminam. Tum ille. Nihil horum quæ dixeris intelligo,
rem apertius (si lubet) effare. Nam isti quidē orationi/ cedi/
pode opus est coniectore, qui Sphingos enigmatum inter-
pres fuit. Tum ego. Non sapis inquam rem quæ meridiana
luce est clarior, non enim propono tibi Apollinis oracula,
ut Sibylla interprete tibi opus fiet, Neq; Thebanæ Sphin-
gos enigmata, ut œdipodos opera indigeas. Verum enim/
uero ut quatenus possim quod sentio, luculente, breuiterq;
planiloquus absoluam. Morbus quo iam dudum labora-
bas. non oleo, sed baculo erat expellendus, hanc ob rem de-
creui lumbos tuos non unguento sed fusticulo perfricare, ut
sanitate tandem recuperata, lætam uitam degas, & idone-
um corollarium mihi dependas. SIDONIVS. Ain tu in-
quit furcifer me morbo laborasse? BAR. Aio inquam, &
merito, quia hoc uero nihil est uerius, non Apollinis oracu-
lum, nec Sibyllæ folium. SIDONIVS. Proh Iuppiter
inquit, quis unquam fando audiuit tam impudens menda-
cium, quod plus a uero distat/ quam coruus a cygno. Escu-
lapius enim me quinquagenos annos, & amplius saluberri-
ma ualetudine profecutus est, a quouis morbo penitus im-
munē præseruauit, ut anxie mihi metuere uideret, & utpo-
te pignori suo longe prouisum cupere. Nā egomet/ memet
peccasse esse filiū Esculapii, et Nepotē Apollinis, nisi mater
mea (quæ hisce in rebus est peritior) aliud mihi persuasisset
Cui ego/ profecto ut loquor res ita est. Nō enim habeo ullā

occasione, ut apud te falsa fabuler, haud equidem sum is
homo, qui soleat mēdacia garrere, ut tute ipse (si uelis) nosti.
Res ipsa deniq; fidem sermoni meo dabit, prācipue cū tibi
testes fide dignissimos pduxero, quorū astipulationib⁹ sum
mā fidē (ni fallor) habebis, etiā si nullū iusiurādū uerbis suis
interposuerit, Tū ille, id tam facere potes q̄ imbrē in cribro
pollinario gestare, ubinam gentium huiusmodi testes dic
quāso inuenies? quorū simplici asertiōi tantā habebo fidē.
BAR. In hisce inq̄ meis ædibus cū uolero inueniā, haud
facto opus est, maria traicere, aut longinquas terras petere,
O mi Pancraci, ut iam nunc cognoscas, qua facie sint illi ser/
ui mei, quos testes aduersum Sidonium tuum produxerim,
ego tibi unūquanq; illorum per ordinem graphice ostendā
Dromo meus est statura pene iusta, decenti capite, capillo
leniter reflexo & sub flauo, superciliis pene coniunctis, uigi/
lātibus oculis, nō magnis naribus neq; puis, sed inter utraq;
mediis, naso recto, colore candido, dentibus exiguis / & fir/
mis, ceruice erecta, lato pectore, humeris musculosis, lōgio/
ribus brachiis, ualētibus digitis, uētre modico, exilibus cru/
ribus / suris & pedibus expeditis, nō supflua carne distentis,
sed neruorū duritia collectis, Huic homini, si qd recte curatū
uelis, mandes, mori sese misere mallet, q̄ non perfectum red/
dat quod pficere promiserit. Dauo uero (ut scias) est enor/
mis statura, sesquipede quidē est q̄ Dromo longior, caput
paruum & portentosum, & quum semper, tum in quantu/
locūq; actu uel maxime tremulum, capillus uersipellis / ra/
rus / & circa uerticem nullus, sed pone occipitium submissi/
or, ut ceruicem eius iam obtegat, supercilia hirsuta, hebeti/
ores oculi subducti, recessu concauo introrsum recepti, au/
res flaccidæ, nasus & a medio eminentior, & ab imo dedu/

etior, nares grauedine occlusæ, color subniger, malæ oblongæ, os rubicundum & admodum magnum, labia tumida & saliuosa, dentes scabri, & aprorum instar prominentes, pleetra linguæ titubantia, risus indecens, iam turpior spumante rictu, mentum multibarbum, habet faciem aceti acoræ, & sinapis acrimoniâ præ se ferentē, ceruicē rigidam & obstipā angustū pectus, & setis obsitum, uentrē pene ad genua usq; porrectū, dorsum auctum gibbere. Est etiam humeris infirmis, breuioribus brachiis, manibus tremulis, cruribus itrosum intortis, suris crassis, pedibus admodum magnis, & (ut paucis expediam uerbis) tam similis facie Charoni est, ut pleriq; eum procreatum ex eo crederent. Tutemet nūc fac cōiecturam, cæterū quid id sit hominis, cui Pamphagus cognomen fiet. Parmenonem uero qui subsequitur scias esse breuiculum, recaluum, fuligine & carbonaria aspergine obductum, bucculentum, uentrosū, aliquantulum incuruū, oculis prægrādibus, malis habitioribus & pēdulis, cruribus in exteriorem partem obtortis, dextro pede nō perinde ualet, ut sæpe etiam hibernis diebus inde claudicet, Nam Parmeno dum puerum agebat, suffuratus est aliquādo portiunculam quandā carnis suillæ, in macello de mēsa lanionia Quod cum lanii limis oculis præter opinionem Parmenonis notarunt, Parmenonem prehenderunt, prehensum palmis cum exporrectis, tum maxime cōpressis pulsauere, pulsatum tandem crudo tergori, recenter costis mactati bovis direpto, imponunt, impositum in sublimē quantū maxime poterāt iactarunt, & iactatum, subducto tergore, in terram deorsum recidere siuerunt, quo ex casu dextrū talum suffregit. Hic frater germanus Megadipso est, quadriduum non interest ætatis, uter maior fiet, uerū ingenium fraudulē

tum, plus quadraginta annis maius est Parmenoni quā alteri,
Nam ipse est uersutior, quā rota figularis, utcunq; est uentus,
ex in uelum uertit. Descriptionem equidē hercle Megadipsi
potius uolo silentio praeferre, quā sermone explicare. At enim
nimis longo sermone utēdum mihi esset, si deberē hoc mō/
strum graphice describere, quod scilicet est ei prodigiosa statura
caput praegrāde, capillus horrore implexus, atq; ipeditus,
stupae tomēto as similis, & inaequaliter hirtus, & globosus
& congestus, & prorsus inenodabilis diutina incuria, non
modo non comendi, sed saltem expediendi & discriminan/
di, supercilia setosa, oculi rubicūdi & prominentes, nasus &
in medio deductior, & in imo eminentior, nares ad modum
hiulcae, labia uerrucosa, os deforme, dentes lupini, malae (in
star proserpentis bestiae) turgentes, mentum longū & hirci
no barbitio obfitū, ceruix obesa, color toti⁹ corporis (prae
faciem quae rubicunda est plarunq; ex potulentia) est obso/
letus, quodq; idem est angustus ab humeris, pectore: caeter/
is quoq; membris usq; ad imos pedes inaequalis & incon/
gruus, haec enim omnia longum esset enarrare, uerum ut
iam tandem (unde digressus sum) regrediar, scias Sidoniū
dixisse illosce testes, quos te habere praedicas, uidere gestio.
Cui ego. Quando illosce meos testes uidere gestis, ego unū/
quenq; illorum, proprio nomine ciens huc uocabo, He/
us heus Dromo, Daue, Parmeno, & Megadipse ubi estis?
accurrite huc, properate Introrūpente itaq; uno / & altero,
ac deinde pluribus hūc sermonē exorsus sum. Quid sentis
de his uiris dic Sidoni? nunquid eorum simplici asserzioni
summā haberes fidē? an iusiurandū super exigeres? certe si
ullā rationē honestatis quantālibet paruā in te haberes, eorū
simplici asserzioni p̄p̄modū fidē haberes. Sūt enī (ni men

tiar) uiri omniū qui unq̃ fuere, aut sunt, aut etiā futuri erunt
ueracissimi. Interrogato igitur eos (ut lubet) super morbo
tuo, & quicquid respōderint, oraculū Apollinis putato. Ad
hoc uerbum cum Sidonius, tum maxime seruorum grex ri/
su dirumpebatur maximo, ut prae risu uix pedibus cōsistere
quiuisent, nunq̃ edepol ullo die (ni fallor) riserunt ad æque,
neq; hoc quod reliquū est risuros opinor, cachinno tandem
parumper sedato, occepit Sidonius Dauum adoriri hisce
uerbis dicens. O bone uir, uel si id mauis optime (si mentiar
ignoscant id mihi dii) ain me morbo laborasse? DA VVS
Aio, immo & assero. SIDO. Sed quid ego istuc credam, ui/
distin? an tu audita renuncias? DA. Haud egomet uidi, sed
fando audiui. SI. Pluris est oculatus testis uuus q̃ auriti de/
cem, qui audiunt audita dicunt, qui uident plane sciunt, ma/
lo oculis q̃ uerbis habere fidem. DA. Quam ob rem istuc
dicis? SI. Quia res certius uisu q̃ auditu cognoscuntur, DA
Ha mi Sidoni non recte iudicas, bona uenia hoc audeo ne/
gare. ego res certius auditu q̃ uisu comprehendo. SIDO/
NVS. Nunc profecto e mentiris. DAVVS Haud men/
tior, nam mendaciū odi æque atq; angues. SI. Vera quæ di/
cis, inqt, Daue prae cæteris quæ e mentiris, pars ea nō est mi l/
lesima. DA. At ego te in quoduis pignus uoco, si in uno us/
piam uerbo mendacium admisi. SI. At tu si non mentiris,
es oculis hebetioribus. DA. Si istuc tibi subolet rheumatis/
mo nō laboras. SI. Eho iam satis uerborū est mi Daue, im/
pone uerbis modū. DA. Nō ego ad ipsum modū, sed retro
paululū, & citra modū, immo, ut uerius dicam, longe ultra
modū soleo trāscurrere. SI. Daue nō opus est uerbis cōplu/
culis, iam pridem cōstat testimoniū tuū nullius esse ponde/
ris, ne dixerim momenti. DA. Quid ais glis somniculose,
appendistin

appendisti in libri pēdis instar. testimoniū meum in lancibus
librae, ut uideres quāti ponderis fiet? SI. Appendi, & inue-
tum est inane, & opido friuolum. DA. Iam nūc dicis, quod
a nullo scriptū, nec unq̄ fando auditū, & oīm quæ monstra
dicunt̄ mōstrosissimum est. Quis unq̄ fando audiuit hoīm
testimonia in statera trutinari? credo edepol te, q̄ talia garris
delirare, & melācholica uertigine laborare, aut appotū pbe
SIDO. Abi in malā crucem uerbero nequissime, putas me
esse similem tui? quo nemo est helleboro indigētior, qui nō
solū obolo, aut dragma, cyathoue, aut acetabulo, sed ne ur-
na q̄dem hellebori ab infania purgari possis, immo nec me-
dicinae auctor Aesculapius te omnino ab isanina liberaret.
DA. Ioco an serio illa dicas nescio, sed si scirē id a te ex anio
dici, ipse iā Hercle occeptarē insanire primulū, ut me apud
te non Dauū, sed Herculem furentē agere præsētisceres. SI.
Quid ais helluo quid ais? uenisti in huc causa testimonii phi-
bendi, an pugillādi? DA. Abi in orcum putre cadauer cum
tua istac quæstione, Non enī ueni huc uerbis contēdere, sed
pugnis immo fustibus, & ut uerius dicā ardētibus ticionib⁹
e foculo correptis, Et cū dicto linguā exertauit, & Sidonū
derisit. Quod ego quū uidi fremebūduſ oculos truces in Da-
uū inuertēs dixi, Dii te perimāt laruale simulachrū, quando
semper negocia mea inturbas, id ego cū alias, tum etiā nunc
inpræsentiæ usu experior, nondū hæc finierā cum ipse ce-
perat a conseruis suis propelli, efflari, & exhibilari. sed Dro-
mo cæteris cōmotior, ne dixerim furibūdior (uelut atra bile
percitus) matellam locii arreptā, in caput Dauī infregit sic
inquiēs. Nostiſt in furcifer nequaquā eū recte dicere? q̄ quicqd
in buccā uenit, dicit, huc testādi causa uenisse te dixisses, non
contēdendi, sed tu nihil sapis, nihil sentis, tanti es, quanti est

Putid⁹, immo Hercle mortuus, pluris precii est, q̄ tu es. Et
cū dicto eum urina perlutū extra limen cubiculi eiecit, quo
eiecto, in ipso eodē momēto hostiū cubiculi, de sub pedibus
sublatū, in cardines suos coniiciēs, ad claustra p̄sulū redu-
xit, & fores sup se occlusit, ne Dauus introrūperet, & locum
spurcissimo locii madore oppleret, nam quocūq; transibat,
uniuersus aer fetore urinæ, instar extremæ latrinæ, olebat.
Interī Dauus ad focū p̄currit, ardentēq; titionē ex igne cor-
reptū gerens ad cubiculū properat, sic uoce sublata occlami-
tās. O Dromo, si magnanimū heroa præ te fers. ueni foras,
& prodi in conspectū meum, & noli intra parietes cubiculi
latitare, aut (quod magis credo) sub lectū te cōdere, ego me
Hercle hodie efficiam, ut p̄ totū orbē non inuenias miseriæ
tuæ comparem, immo si nūc quadrigas Iouis inscēdas, atq;
hinc suffugias, ita uix poteris effugere infortuniū, qđ tibi de-
stinatū est, nisi metus heri mei obstitisset. Ego iam dudū (ho-
stio e cardinibus reiecto) more fulminis cubiculū introrupis-
sem, & uerbereū caput tuū, mirē in modū hoc torre ambu-
sto (quē manibus gesto) obtulissē, atq; id eo grati⁹ fecissem,
quo tu uiderere spectatoribus nostris lerneæ hydra, aquam
palustrē eiectās, & ego Hercules te flāmis ultricibus exurēs
Eo aut hūc in modū blaterāte. Dromo sermonē eius his uer-
bis interrūpens ait. Dic hominū stultissime, qua confidētia
audes me ad pugnandū lacescere: q̄ te possem oris mei spi-
ritu (ut uentus folia, aut peniculū tectorium) difflare. DA.
Quid tu ais furcifer: satin es sanus qui putas me glumā gra-
ni frumētarii, aut pappū cardui, quē leuis uentorū flatus dif-
flat ultro citroq; p̄ auras, cū tamē sim corpulētior q̄ bos sa-
ginatus, & aīosior q̄ leo iubat⁹, Quo fit etiā ut ego te tantū
timeā q̄tū elephas culicē. Ehē qđ mō uenit mihi in mentē:

nunquid tu culex nudius tertius identidem cōminabaris, te cōci-
surū me machæra tua minutatim: ut agmē formicarū possit
me frustulatim in cauernulas suas introferre, cur modo non
pperas: cur preliū detractas: cur ex istoc cubiculo tanq̃ ex
formicino antro prodire non audes: formicula dic: DR O.
Tace tace(inqt) stultiloque, & tutamēta sermoīs circūspice
parce inquit in uictorē tuū sup̃bire, ne quā tibi lingua intem-
perāte in capitis tui p̃niciē, noxā contrahas, Turpe qdē est
calamitatibus affectos, sup̃be cū uictoribus agere. Itēq; ma-
ximū quidē stulticiæ specimē est, friuola uerba p̃ duris uer-
beribus(ut tu facis)reddere.DA. Desine inquit Dromo le-
porū uexillifer: ac damularū antesignan⁹ in istac tua uicto-
riola insolēter gloriari, quādo sæpicule uictor a uicto uice-
uersa fundit̃, uincitur & pedibus p̃teritur. Tu ipse, ni fallor,
nosti q̃ gestiat fortuna, quæ uictoriæ cæterorūq; id genus
bonorū fabulat̃ largitrix, suas lubricas ambages, & īstabiles
incurfiones, & reciprocas uicissitudīes in homībus diu, no-
ctūq; exercere. Vix hæc finierat, quū ego minabūdus inq̃, ui-
desis Daue q̃ mox fustibus delūbari uis, nisi actutū hīc abis,
quādo nihil apud hæc cubiculi fores negotii sit tibi. Prope-
ra igit̃, quantū celerrime potes, te istac ueste uuida exuere, &
q̃libet alia, quā sors dederit, induere, nec non & caput, ma-
nusq; & faciē aqua abluere, q̃bus ablutis in culinā te intro-
capessas, ut patinas eluas, cacabos, athenaq; defrices, aquāue
in lebetes, q̃ ad ignē appositi sunt, īgeras, aut salē in ollā oleū
indas. Et si horū nihil factō op⁹ fiet, tūc cochleariū forāiosū
in manū accipito, & oua elixāda in cacabo despumato. Qd
si p̃sequi neglexeris, ego iubebo te nudū astrīgi, ad columnā
fortiter, & uirgis tātisper lacerari, donec quod imperauerim
præsentiscas, & lubenter p̃sequi pergas. Et cum dicto con

uertimē ad Sidoniū sic inquit. Iam tandē lubet mihi o Si-
doni, iocis semotis serio tecū agere, si uis faciā ut oculis tuis
cernas, & manib⁹ tāgas, te morbo uehemēter laborasse. SI.
Volo, sed tam efficies, q̄ imaginē Diogenis cū suo palliastro
barba, scipione, pera panaria, & crepidis, in adamante, stilo
exculpes. Cui ego, An istuc efficere possim haud scio, id scio
me facere posse, ut palpes, & tangas te morbo etiā grauissi-
mo laborasse. Quæro igit̃ ex te nū illum diceres morbo la-
borasse? cui barba insensibiliter expilaretur, aures puellerent̃
frons, & occipitiū decaluarenrur ut te nō hominis caput, sed
rapæ bulbum uidere putares. SID O. Vtiq; dicerē inqt. Er-
go tu grauissimo (inquā) morbo laborasti, cuius barbitium
per interualla insensibiliter euulsum est, aures pmulsæ, frons
& occipitiū cōpilata, & tam glabra, hem, q̄ hæc est manus
SI. Vah apage te (inquit) a me, ineptias mihi narras, & nu-
gas meras, nullo enī pacto uerbis tuis habeo fidem. BAR
Admoue dextrā capiti inquā tuo, & inuenies genas per iter-
ualla depiles, aures pmultas, & totū caput expilatū. Quam
primū manu capiti admota caluitiū deprehēdit in hæc uer-
ba prorūpens, q̄ maxie potuit exclamauit, O infaustū diem
o calamitosum diē, atro lapillo signandū, qbus & quātis ex-
posuisti me ludibriis? hodie mihi caput tōsorio cultro admu-
tilatū est, & usq; ad uiuā cutē tonsatū probe, hodie mihi bar-
bitiū per interualla forpiculis defectū est, hodie mihi costa-
rum cratis uerberibus pene dissipata est, & (ut paucis expe-
diam uerbis) hodie mihi totū corpus adeo fustibus est cōtu-
sum, ut mihi de uita (nisi dii succurrerit) prorsus desperandū
sit. Cui ego, Desiste inquā inepta & opido friuola cōmemo-
rare. Non enī culter tōsorius caput tuū rasitauit, sed manus
mea funditus expilauit, & cū dicto collegi pronus cincinos

eius de sub pedibus meis, quos dudū euulsos p cubiculi pa-
uimentū dispserāt, collectos oculis suis obtuli dicēs. Viden
imas stirpes horū criniū, quæ tibi argumēto sient, eos nō no-
uacula recisos, sed manibus radicitus, te nescio, ob stirpatos
quod unū potest satis superq; pbare te morbo etiā grauisio
laborasse, ubi hæc finierā. SIDO. pape deus (inqt) quid di-
cā, cum tot & tantis astruor argumētis morbo laborasse, &
tamē (ita me Apollo amet) nullius morbi mihi cōsciū sum
Adde q; habitudo corporis nō est attenuata, nō succus exor-
ptus, nec color obliterated, nec uigor nisi uerberibus debili-
tatus. Verū enī uero ut ista sese habent (si qua fides imperti-
enda est) debuisses tu potius morbū meum herbarū succis q̄
fustibus pepulisse. Sed quod scissitare pene præterierā, quo
modo factoue deprehēdisti me morbo laborasse? Cui ego.
Si uis auribus (ut aiūt) arreētis omnem rem auscultare, nec
me interuertere, sed sinere me cōmodæ orationi finē facere,
ego singula tibi explicabo, q̄ breuissime potuero. SI. Hem
inquit istuc uolo, & desidero, dic amabo dic, ego te nō inter-
pellam, neq; ex ore tuo orationē tibi eripiā. Tum ego loqui
exorsus sum. Herus tuus cū alias, tum præcipue nudius ter-
tius unas ad me dedit literas, ut te q̄ primū ad eum remitterē
& iure postliminii gaudere sinerē, Quod ne diutius facere
differrē, statui te hodie hinc abeundū, & ad herū tuum remi-
grandū. Quo factum est, ut hodie sub tempus antelucanū
nominatim te ciens, frequenter inlamaui, Sidoni euigila &
surge, quod cū semel & iterū ac deinceps fecissem: & mihi
inclamāti prorsus nihil respondisses, decreui cubiculū tuum
inscendere, & te a somno experrectū reddere. Vbi ad limen
cubiculi puentū est, quid tunc egerim longū esset enarrare,
q; scilicet hostiū cubiculi e cardinibus eieceri, qdq; barbitiū,

frontē, & occipitiū tibi expilauerim, adde q̄ aures tuas per-
uulserim, q̄ deniq̄ morbū tuū compertū ex mediis usq̄ os-
sibus fuste ppulsauerim, hæc enī omnia malo silētio præte-
rire, q̄ sermone explicare, q̄ iam fieri dictis meis cōpendium
uolo, hæc ego. Tū Sido. Quod est huic morbo nomē. BAR
Socordia inq̄. SI. Cur hūc morbū maluisti mihi fustibus q̄
herbis ppulsare. BAR. q̄a fustib⁹ ppelli(inq̄) huic morbo
est peculiare. SI. Monstrosa est prorsus natura hui⁹ morbi
sed scientia quæ fustibus huiscemodi, quā memoras, morbū
ppellit, lōge est mōstrosior. Tum ego. Hoc qđ dicis (inqt)
ppe modū est uerū. SI. Quo nā argumēto nosti hūc morbū
perticis propelli? dic quæso. Tum ego. Dicā quādo ex me
quæris, Ego dū puerū agebam, hoc morbo mirē in modum
laboraui, sed pædagogus meus, ferula nates meas obuerbe-
rās, hūc morbū facili opera ppulsauit. SI, Cur igit inqt ma-
luisti me claua q̄ ferula curare. BAR. Quia meōriæ inquā
proditū est ab Asclepiade, qui inter præcipuos medicorū (si
unū Hippocratē excipias) cæteris princeps, hoīem grandem
natu nō ferulis sed fusticulis, tanq̄ p̄sentaneo remedio a mor-
bo scordix liberari. o Quod ego solertissime animaduertēs,
statui te iuxta Asclepiadis sententiā ab hoc morbo clauicula
potius q̄ ferula liberare, & pristinx salubritati restituere,
Sed proh Iuppiter qualē gratiam mihi pro istoc beneficio
habuisti, immo retulisti, tute ipse nosti, Si apud Persas dege-
res, hæc tua ingratitudo exquiritis ulcisceretur suppliciis, Si
igitur homines ipsam ingratitudinem tam ægre ferunt q̄ æ-
gre latuiri sint eam dii, qui omnia iustis respiciūt oculis, tecū
animo fac cogites. Nondū hæc finierā, cū Sidonius palliolo
sup nudam carnem circūiecto, uix semiamictus e lecto sese
quoquomō potuit corripuit, & ante pedes meos procidens

ueniam & obliuionem peccatorum omniū lachrymis obortis
maibusq; in preces porrectis exposulauit dicēs se poenitere
q̃ tam diras deuotionēs in caput meum imprecatus fuerit,
& cum dicto dextram meam apprehendit, apprehensam ori
suo admouit, admotā osculabūdus tanq̃ salutigerā suā de-
mulsit, Et ne claua, q̃ fortiter cōtusos erat, esset gratitudinis
suæ exors, ipse eam q̃ plurimis osculis impressis honoranit,
insuper hoc tetraſtichon in laudē eius, quoniā musarum an-
tistes erat occinuit, sic inceptans.

Dux herebi Pluton stygiis socordiam ab antris

Misit, ut humanum deuoret illa genus.

Iuppiter hanc superis clauam dimisit ab oris,

Quæ pestem stygios trumat adusq; lacus. Hæc ille.
Tū ego. Quādo te inquā cōsidero esse gratū, nō modo erga
me, uerū etiā erga clauiculā, lubēs cōdono tibi ex aīo omnē,
quā mihi intulisti iniuriā, & toto ab hinc tpe eris meus ami-
cus, & cū dicto ap̃phēdi manū eius subleuās eū, ac in pedes
suos statuēs. Et in ipso momēto iussi Dromonē ire in tōstri-
nā allatū aulam oleariā, pyxides unguētarias, & scissiles pā-
niculos, q̃b⁹ ad me p̃ Dromonē allatis, ego medici uulnera-
rii p̃sonā sustinēs lūbos ac latera Sidonii (pallio tamē ei⁹ an-
te exuto) olearii fomētis demulsi, & cataplasmatibus circū-
uolui, & pānis fasciisq; colligauī, ut si coram stetisses, nō me
Bartolomeū sed Hippocratē putasses. His igit̃ rite pactis,
iussi Dromonē cadū oleariū, cū pyxidibus unguētariis in tō-
strinā reportare, & cū primū reportauerit iterq; ad me redire
ut si q̃ in re opa eius indigerē, præsto esset. Deīde iussi Par-
menonē & Megadipsū induere Sidoniū uestib⁹ suis. sed pri-
us q̃ eum uestibus suis rite induissēt rediit Dromo, quē iussi
munus indutionis p̃sequi & absoluerē. Parmenonē uero &

Megadipsum alia munera obire, illū scilicet ut Sidonio for/
biciunculā coqueret, & oua gallinacea testis suis exuta, cum
butyro in sartagine infrigeret, aut ea in calēti cinere leniter, p
tpis interualla, uersando pcoqueret, nec nō & pulmentū ex
piscibus exotico iure præpararet, & illā partē sturionis, quā
pridiano uespī in foro piscario a cetariis nostris trinis stateri/
bus coemerat, assaret, itēq; ferculū ex bubulis carnibus mi/
nutatim cōcisis suaui sapore pcoqueret, & capū altilē illari/
datū, uerubusq; affixū, reciproca uertigine ad ignē diutius
uersaret, in omnē rei euentū, ut si qs ex familiaribus meis, ad
ædes meas prandendi causa diuerterit, habeā qđ ante illū in
mēsa ponā, Huic uero, ut Sidonio cantharū uetulo uino ad
summā usq; orā impletū afferret, Aut si maluerit ceruisiā
quinū potitare, Sūt mihi duo uasa in cella uinaria, quorum
alterū est oppletū ceruisia Bremēsi, qua Rhadamātus pos/
set impiorū anīas, si eius copiā apud inferos haberet, acriter
torquere, & huic uasculo insertū est ligneum eductoriū, quo
ipse potus ex uase educitur. Alterq; uero est oppletū ceruisia
Hamburgēsi, quā (ut uerū fatear) puto esse lotiū furiarum,
aut saltē a furiis apđ inferos ex ira & furore (ut nostri orbis
ceruisia ex ordeo & aqua decoquit) decoctā, & in nostram
urbē usq; delatā, & huic tiniae est inserta ærea phistula, utro/
libet potest Sidonius potitare. Tandē cū Sidonius erat ue/
stibus suis rite indutus, iussi Dromonē primo fenestras cla/
thratas aperire, grabatulū sternere, & scopas, aqualēq; cū
aqua in cubiculū introferre, quibus introlatis pauimentū cu/
biculi, quod fuit quadratis crustis lateritiis constratū, aqua
conspersum scopis uertere, & puluisculū cōuersum egerere.
Deinde arabicos odores incēdere, ut nares nostræ, quæ ha/
ctenus urinæ spurcitia fuerūt offensæ, meliori odore recre/
arentur

arentur, ad quod uerbum respondit Dromo. O mi here na/
res meæ non odore arabici thuris, sed nidore pcoctæ carnis
oblectâtur, nam oîm unguetorū (ita me amēt dii patellarii)
odor, præ nidore pcoctæ carnis, mihi nausea est, ille odor est
mihi stactes, cinnamomū, rosa, crocus, casia, & balsamum.
Tū ego. Nō mirū est inq̃ creditu, catillonē magis nidore car
nis, q̃ odore thuris oblectari, qui summā felicitatē in catillis
abliguritadis cattorū instar: cōstituit. Quid enī mea refert te
nidore carnis / an uapore uētris obsibilātis oblectarier, ego
iubeo te odores arabicos incēdere, & hāc mēsam magnifico
apparatu instruere. Erat orbis quidā acernus, tribus pedib⁹
suffultus in eodē cubiculo, quē primū Dromo mappa con/
strauit, deinde mappulas manuaras per extremā oram eius
circūducens supimposuit, qbus cū stagnēos orbiculos per
certa īterualla iniecit, salinū nō neglexit, & ne qd ad mensæ
apparatū deesse uideret̃ duos circulos æreos, qbus paropsi
des sustentāt, ī mediā mēsam cōiecit, qb⁹ cōiectis mox pani
b⁹ ex canistro deprōptis mensā p̃ certa īterualla onerare stu
duit. Et ecce in eodē tpis puncto, Megadipsus introrupit, ge
stans amphorā ceruissæ cōmunis inextra, & aliquāta ficti
lia pocula in sinistra, q̃ ubi amphorā deposuit, iuxta panes
in mensa rite collocauit, mēsa igitur hoc apparatu instructa.
Dromo festinabūdus singulos puluillos uentose tumētes in
singulas fellas iniiciēs, eas in circuitu mensæ ponere curauit.
Interim Megadipsus cū malluiū abesse præsenserat, illico
in tricliniū pperat allatū gutturniū cū æreo labro, ac map
pa manuali, qb⁹ per eū in cubiculū introlatis. Acurrit Par
meno noster dicēs. O mi here prandiū ut iussisti curatum
est probe, ubi lubet, ire licet accubitū, Quod cū audiui iussi
Sidoniū manus suas abluere, ablutas linteo extergere, deīde

ad mēsam accūbere. Sidonius uero ubi man⁹ suas abluerat
& ablutas absterferat, aliquantulū subsistēs pedē suū fixit.
Qđ ego cū uidi mirabūdu inq̃, Quid cūctaris o Sidoni mē
sam accedere, times te uirides serpentū spumas, aut aconita
potoriis uasis ebibitur⁹. Si. Non edepol inq̃t aconita ptime
sco, nec uirulētor⁹ spumas serpentū, sed mēsam accedere pa
rat⁹ sum, q̃a indignū putauī me prius ad mēsam accūbere,
q̃ tu honoratiōrē accubitū in mēsa obtinuisses, q̃sputas nō
diceret me hoīem rusticanū, & fabalib⁹ stipulis rudiorē, aut
quēlibet aliū iter capros uitā trāsegisse, si uideret me primos
recubitus in mēsa ausu temerario, hero meo stāte occupare,
& superiorē accūbere. Cui ego, Accede inq̃ itrepidus, & quē
uis locū in mēsa occupa, ego enī nō sum domi, sed alio prāsu
rus, hesternō qđē uesp̃e uocatus sum a prācipuis meis ami
cis ad hodiernū prandiū, ut me hilarē conuiuā apud eos ar
gerē. Hęc me loquente Dromo inquit serius est iam nūc q̃
ut alio ad qđlibet aliud conuiuiū eas, iam enī meridies ibit
in uesperam, imo uespera (si qua fides stomacho meo fame
lico habēda est) ibit in noctē. Et ecce in ipso tēporis pūcto
sonuit primā diei horam pomeridianā. Qđ ubi audiui mox
ad luterem properaui, manus meas abluens, quibus ablutis
& extersis ad mēsam accubui, iubens Dromonem ire in
culinam allatum edulia, quæ sunt discumbentibus primo
æstiuis dūtaxat diebus apponēda. Et ecce dicto citius attu
lit mihi Dromo edulium confusaneum, ex crudis herbulis
lactuca scilicet, & nasturcio, aceto perfusum, & oliuo inun
ctum. Sidonio uero apposuit sorbiciunculā ex ouis gallina
ceis, uinoq; & puluere aromatico confectam, quā cū Sido
nius partim cochleario exausit, partimq; scutella ambabus
manibus ad os admota exorbuit. Tūc ego iussi Dromonē

patinā cum reliquiis herbarū (quoniā ex herbulis tantū ede
rā quantū mihi libuerat) tollere, & aliud eduliū ocys appo
nere, apposuit igit̃ mihi patinā cū ouis, longa elixatione du
ratis, testa exutis, dispertitis, ac petroselino minutatim con
ciso respersis, & in acri aceto natātibus. Sidonio uero posuit
patellā cum binis ouis, testa adhuc inclusis, ante & in calido
cinere ad ignē leniter uersatis ac percoctis. Interim Magadi
psus amphorā ceruisiariā arripiēs, fictilia pocula ad summū
usq; orificiū adimplere curauit, quibus impletis, iussi eundē
ire primo in cellā uinariā allatū cantharum uini uetuli, &
deinde in discubitoriū allatum duos uitreos calices, multino
des, cæteris capatiores, quos ubi una cum cantharo uini at
tulerat, iussi calices aqua effricari ac elui, elutos uino affluen
ter impleri, & in mensam ante nos statui. Cum uero ex ouis
uterq; tantū, quantū nobis collibuit absumpsimus, iterū iuf
si Dromonē patinas tollere & alia opsonia nobis apponere
Posuit igit̃ ante me pulmentarium ex bubulis carnibus tes
sellatim concisis, & uuarum pasarum acinis iteriectis confe
ctum, ac puluere aromatico affatim conditū. Sidonio uero
apposuit pisces fluuiales, quos lucios uocant, aromatico li
quore innatantes, & suauis sapore percoctos. Tum ego inter
edendū dixi, O Sidoni cogitabundus uideris, sis lætus, attin
ge pulmētariū, noli uerecūdari, neminē ad mēsam (ut nosti)
uerecūdari decet, & cum dicto propinaui ei meū uitreū cali
cē, plenū salietī uino, quē ipse ex manu mea exceptū, ad imū
usq; fundū raptim & sine interspiratione, ut antistitē Bacchi
decet, exausit. Vbi uero quid modicū ex opsonio uterq; suo
pransus esset, iussi Dromonē illasce dapes amouere, & ocys
alias ante nos apponere. Apponebatur igit̃ mihi capus
illaridatus, & ad ignē crebro uolumine uersatus, ac pcoctus,

cui adiicibat stagna quædã patella cū oliuis ex uase condi-
mētario recēter deprōptis, ante Sidoniū uero ponebat opi-
paræ ferculū, ex sturione asū, & piperis zinziberisq; polline
& saccaro affatim conditū. Interim Megadipsus utrūq; po-
culū fragrāti uino adimpleuit, alterū mihi porrigēs & alterū
Sidonio. Sidonius uero cyathū sibi porrectū dextra sua te-
nēs sic inqt, O mi here hūc cyathū dimidiatū tibi si lubet p-
pinabo. Cui ego. Quid ni luberet, si totū cyathū mihi ppi-
naueris suscipere q̄ lubētissie. SIDO. Quādo(inqt) tibi lu-
bet totū calicē tibi ppinabo, & cū dicto cyathū ori admotū
funditus exausit, exaustūq; iussit Megadipsum readīplere,
& readīpletū ante me ut ebiberē apponere. Cui ego, Retine
tibi inq̄ calicē tuū o mi Sidoni, ego hunc meum calicē quem
dextra sustineo, eodē quo tu tuū pacto exauriā. In ipso fer-
me momēto Parmeno se intro capessit, gestās duos panes
cibarios, alterū sub dextera ascella, & alterū sub leua, & lig-
neū alueum in ambabus manibus plenū pridianis carnibus
frigidis, ut pote syncipite suillo, perna semesa callo & clune
aprinis, & duobus longis farciminibus multa adipe refertis,
quē Megadipsus utraq; manu lætabūdus exceptū tabulæ,
quā Dromo duob⁹ subselliis tripedibus, paruo interuallo a
se inuicē distātibus iniecerat, supinposuit, Interim Dromo
panes memoratos ex sub ascellis Parmenois excipiēs, alterū
iuxta alueū in tabula collocauit, & alterū ad pectus suū leuū
admouit, & admotū in duas partes cultro suo panario diui-
sit, quarū alterā sibi retinuit, & alterā Megadipso porrexit,
pane igiṛ bipertito, & in utrūq; diuiso, Dromo dicto citius
dexterā in alueū iniiciēs, clunē aprinū arripuit, & arreptum
cū pane alternis morsib⁹ occepit deuorare. Megadipsus ue-
ro manū suam in catinū pari celeritate immittēs, pernā seme

fam rapuit, & raptā rictibus suis admouit admotā cū pane
uicissim fategit inglutire. Eodē ferme pacto reliquū panē cū
reliquis carnibus, ut famelici lupi inuulserūt ac deuorauerūt
Absumptis igit̃ carnibus, alueū exinanitū exertis liguis, cat-
torū instar, ligurierūt, ut eos si eorū ingluuiē corā spectasses,
ad imos usq; pedū digitos exinanitos fuisse putasses, Tantæ
enī erāt gulæ, ut mediussidius rapacitate cū hapyis, & uora-
citate cū Cerbero æquo Marte certassēt. Nunq̃ sunt tā satu-
ri, aut cibis distēti, quin relinquāt in uentre cellæ uni locum,
ubi reliquias mēſæ meæ, si eis apponerētur, recondāt. Vbi
illasce igit̃ dapes qbus duo edacissimi lupi contēti fuissent, in
breuiculo t̃pis momēto absumpsissēt, deuorassēt, & inglu-
tissēt, tanta afficiebātur siti, ut ipsum mare, quod omnes ter-
ras omnifariā, & pene undiq; uersum circūfluit, sitibūdis fau-
cibus, obsorbere posse uiderētur. Cucurrit igit̃ Megadipsus
in cellā ceruisiariā allatū amphorā quandā capacissimā, ple-
nam ceruisia cōmuni, qua uasa ceruisiaria (quæ efferbuerūt)
suppleri debebāt, hāc ampullā p̃ Megadipsum icubiculum
introlatā. Dromo & Megadipsus alternis haustibus ad tur-
bidas usq; feces exorbuerūt, ut eos nō homīes, sed inexplēbi-
les charibdes, & ceruisiæ baratra putasses. Exinanita igitur
amphora, iussi Dromonē paropsides nostras tollere, & lan-
cē cum butyro flauēti, nec non & canistrū cū caseis bubulis
& ouillis mēſæ sup̃imponere, Interī Megadipsus calices no-
stros uino impleuit, quos facili op̃a ebibimus, ebibitos read-
impleri iussimus, & readīpletos ante nos apponi. Vbi uero
ex butyro & caseis qd̃ medicū insumpsim⁹, iussi Dromonē
patinā cum butyro, & canistū cū caseis amouere, & si q̃ bel-
laria haberet apponere. Apposuit igitur nobis duas patinas
cū pomis, quarū altera erat semiplena cerasiis aqua perlutis,

& altera plena flauis & liuidis prunis. Itēq; calathū cū malis acidis, anniculis & præcocib⁹ hornis. Vbi uero bina ternæ ex quibuscumque pomis uterq; insumpsimus, iussi Dromonē reliqua tollere, & deinde linteum mensæ cū apparatu suo remouere, remoto igitur mensæ linteo, iussi Dromonē aluolum aleæ cū tesseris & orbiculis ilico afferre, ut animos nostros ludo aleatorio recrearemus. Quid cū Sidonius audiuit, ah noli inquit imperare uti tabula aleatoria afferatur, cerebrū meū finditur, & cor meū quidē guttatim tabescit, quasi in aquā indideris salem, ubi istius ludi aleatorii fit quaq; mentio. Tum ego. Quā ob causam? SI. Causam dicere prohibeor BAR. Quis inquā prohibet? SIDO. Ariolare. BAR. Dolor inquā & pudor. SIDO. Recte ariolatus es, nam me sup pudet dicere, quod non suppuuit facere, dicā tamē licet dolor & pudor obstant, & en incipio, Hic ludus, dū adolescēs eram, exiit me miserum in quadā cauponula primo omnibus nūmis meis præsentariis cū mutuaticis, Deinde uillis, agris, & possessiūculis, ut ne hara quidē suilla mihi supesset aut tantillum loci ubi catellus cubitare posset, postremo uero omnibus tunicis cum amiculo & crepidulis, ut ne intima quidē tunicula mihi supesset, ut me (si affuisses) non homunculū denudatū, sed cuculū hybernū deplumatū spectare putasses. BAR. Pape quid iam ex te inq̄ audio? SIDO. Id quod uerū est. BAR. Si istuc (inq̄) uerū est quod cōmemoras, pauperior eras q̄ Diogenes ille cynicus. SIDO. imo lōge pauperior. nā illi reliquū erat doliū uersatile, quod ad faciē solis diurni, instar solstitialis herbæ obuersabatur, mihi uero præ nimia paup̄tate ne cauea quidē uimineā (sub qua gallina cum pullis suis succubare posset) erat, Illi erat tunica interula, palliolū quod sup̄ne circūiecerat, & pedū tegimēta baxeæ mēdico

rūq; suppellex baculus & pera panaria, Mihi uero proh dolor nihil horū erat, nō modo non uidebar Diogene, uerū & quouis mēdico circūforaneo paupior. Quod cū (licet sero) aduertissē, nec ullū uerbū, ac ne tacitū quidē gemitū quiui emittere, post aliquantulū tēporis occepi meā fortunā, meosq; casus grauius īgemiscere, & uacuas manus sēpicule cōplodere, pedesq; īcertis alternatioibus cōmouere, modo hāc modo illam capitis partem, quā mihi pruriebat adscalpere & ore semiclauso balbutiēs (nescio quas) querimonias effutire. Tandē dolore ingrauescēte subito uelut lymphaticus incepi uictorē meū imo hercle expoliatorē omnibus maledictis quā qui cōminiscier, onerare, cōpellans eū trifurē, latrunculū, siccariū, uenenariū, patriā pditorē, parricidā, sacrilegū, piurū legirupā, pnciē adolescentū. Et cū dicto libratū pugnū in ora eius impegi, ut gingiuas eius edentarē, ipse uero ex tēplo mihi caput, correpto de mensa alueolo, excerebrasset nisi uuns ex collusorib⁹ nostris Misargyrus noīe, qui adsedebat altrīsecus, interpedisset, & rixas nostras ītercessu suo dirimisset, in ipso ferme tēpis pūcto accurrit minister cauponi⁹ q me miserū affatim plagis castigatū, forīsecus abiecit, & tris canes uillaticos feros, atq; immanes e cauea sua, in qua per tēp⁹ diurnū cōcatenati cubāt, emisit, & in exitiū meū inhortatos īmisit, q simul signo solito ministri cauponii incēsi atq; inflāmati, furiosaq; rabie conciti & allatratibus etiā absconis horrēdi eunt in me miserū. Quod cū uidissē, ilico silicē quēdā de uia tremebūdus corripui, correptū in caput propinq; oris canis accurrētis magno nisu centorsi, sed impetu casso p extremū dorsum trāscurrens lapis cōtra opinionē meam deciderat in terram innoxius, quo lapidis iactu canis alioquī exasperatus, furiosus me miserum rabido rictu aggreditur,

aggressū terræ grauit̃ applofit, applosum ipse cæteris canibus coadiutoribus, mēbratim discerpere tētauit. Sed in eo dē pene momēto accurrunt uiri rusticani, q̃ meū miserabilē ululatū cognouere, festinabūdi suppetias, hi cū sudibus, isti cū furcis bicornibus, illi uero cum perticis, q̃bus segetes demessæ in area flagellātur, qui ubi appropinquere, nō modo armis suis rusticis, uer̃ etiã sublati clamorib⁹ canes abs me abegerūt. Abactis igit̃ canibus me miser̃ humi supinatū in pedes statuerūt, ex corpore meo sanguinē laciniis & q̃buslibet aliis pāniculis deterferūt, deterfo igit̃ sanguinis p̃fluuiō, accessit q̃dā ex uicinis meis, cui nomē erat Eleus, q̃ me miser̃ apprehēsū ad ædes fratris mei maioris natu Alexios perduxit, qui ubi cognouit me a canibus admorsū, & uariis uulneribus distractū, statim medicū uulnerariū cū pyxidiculis unguētariis ex urbe p̃ximiorē acciri flagitauit. Hactenus adhuc Sidonio fabulāte ego sermonē eius hisce uerbis interrupi sic inq̃ens. Tace tace mi Sidoni, sat historiæ est, tu nō nisi tristia cōmemoras. Ego me Hercle uolo uel ludo quopiam uel cantu lyræ, aut tibiæ oblectari. Et cū dicto interrogauī Dromonē, sciret artē tibicinariā (quæ acuto tinnitu & graui bombo concentū musicū miscet) nec ne? Respōdit aut̃ Dromo mihi, se eā p̃rsus nescire, sed si mihi luberet caneret mihi quālibet suauē cantilenā. Iussi igitur eū cantilenā quāpiā dulcē de Ioue optimo maxioq; occinere, qua cum aures nostras, tum maxie mentes sua modulatiōe p̃mulceret. Qd̃ cū fando audiuit me. O inq̃t mi here una op̃a iubeas eum in coelū ire salutatū nomine tuo Iouē, tā illd̃ potest q̃ istud. Non ita uetus p̃uerbium esse, nihil cū fidibus gracculo, aut cum amaracino sui, q̃snam docuisset hūc comedonē artē musicā quæ ex lōgis & breuib⁹, acutis & grauib⁹ sonis cōstat, &
tam di

tam diuersis & dissonis uocibus harmoniæ (ut ex te crebro audiui) reddit. Hic enī nudius tertius (cū dionysia celebrauimus) occeperat quandā (nescio quā) cantionē q̄ maxia uoce p̄sonare, ut eū tragœdū (si audisses) putasses, qui (ne claritudo uocis arteriis aboleretur) identidē boando raucitatē suā purgaret. Ego me hercle mallē aggannitū uulpis, imo grūnitū suis, & ut uerū dicā clamorē cuiusuis asini arcadici ob raucati q̄ uocē hui⁹ Dromonis audire. Et id ipsum, ni fallor, malles si ipse occiperet suo more cātitare, hoc est istar hedi obuagire. Cui Dromo. Nosti tu iexplebilis ceruifiæ uorago suauius q̄ ego modulari, aut potes lusciniolā uoce tua æquiparare? cur igitur nō canis? cur non probas te posse syrenū symphonīā multiformibus modulis exuperare? Dic bibio dic. MEGA. Iam pridē cantassē inq̄t si herus meus me canere iussisset, nihil enī debet seruus bonæ frugi (q̄lis ego sum) iniussu heri sui attētare, si nō uelit ei⁹ indignatiouē infaustis auibus incurrere. Cui ego. Si aut tu inq̄ putas te suauius isto modulari, illā eandē cantilenā de loue optimo maximoq; te nūc modulari iubeo. ME. Nulla inq̄t carmina de loue canere scio, sed si tibi luberet occinerē suauē quandā cantionē, de diis meis peculiaribus. BAR. Qui sunt inq̄ dii tui peculiare? de q̄bus cantilenā etiā dulcisonā te canere offers. ME. Dii mei inq̄t peculiare sunt, uēter meus, & eius uxor sancta satura. quos ego ab ineūte æuo in hūc usq; diē (ut epicurē decet) religiose colui, & colo, & quoad mihi uita superit colā, nō modo puigili anniuersario sacro, aut mēstruis supplicationibus, uerū & diurnis nocturnisq; comessatioibus & potatioibus, q̄bus huiuscemodi dii placātur ac tranquillantur, ut mare non sit trāquillius, cū alcedo educit pullos suos BAR. Abi inq̄ in malā crucē cū istis diis tuis, quos homo

bonæ frugi præ nimio despectu, ne pecudū quidē nedū hōi
nū cēseat esse deos, quanq̄ uos Epicurei, q̄ infra q̄libet pecu
des uestrā ob ingluuiē estis detrusi, eos deos habeatis, & cū
dicto cōverti sermonē meū ad Sidoniū sic ingens Sidoni po
stera die iētaculatione cōfecta, sarcinulis tuis sumptis uiā ca
pesses & ad patriā p̄fectionē diriges, herū tuū Pancratium
postliminio reuifurus, q̄ aduentū tuū aīo anhelō, ut litteræ
suæ ad me platæ indicāt, opperit̄, quod si deiceps facere di
stuleris, aut in supinā p̄crastinationē reieceris herū tuū īpli
cabiliter (mihi crede) offendes, nondū hæc finierā Megadip
sus uerba mea interrūpens sic p̄fatus est, Hesterno uespe fā
do audiui latrones uias infestare, & uiatores quosq̄ pecuniis
sarcinisq̄ exonerare. BAR. Tace inq̄ nugigerule, uanū est
& opido falsum uias latrūculis infestari, & uiatores depre
dari. esto q̄ latrones uias infestēt. Quid igit̄ uiatori de sum
ma paupie latrūculi auferre possēt? an ignoras stulte nudū
quēpiā non a decē militibus obarmatis expoliari posse, Si
donius noster non solet esse pecuniis cū p̄ficiscitur oneratus
licet sit pera & lagūcula (ut philosophū decet) suffarcinatus
Non tñ hinc abibit īcomitatus, sed Dromo erit pedisequus
eius, qui gladiolo suo cinctus, & ferrata clauicula instructus,
latronib⁹ erit formidini, & Sidonio præsidio. Quod cū Me
gadip̄sus audiuit ridiculos iocos in Dromonē instruxit, sic
inquiens, O mi Dromo si uis saluti tuæ esse prouisum, uade
cōcito gradu cōsultū haruspices, aut si mauis genethliacos,
q̄ p̄digiosis artib⁹ res oīs post futuras prænoscut, sup̄ exitu
p̄fectiōis tuæ ne secus faciēs, infaustis auibus iter capefſas,
& uitæ periculū īprudenter (qđ dii uertāt) incurras. DR O
Tua inq̄ quod nihil refert ne cures, p̄fectio mea ut sit fausta
non requirit haruspice cū lituo, sed crumenam cū uiatico, non

chaldæum cū ephemeride, sed manticā cū pane & caseo, &
quod pene præterierā lagenā cū ceruisia, aut qđ mallē uino
Vbi hæc finierā dixi ad eū, bono sis aīmo mi Dromo, poste-
ra die, diis bene uolētibus instruā te largo uiatico, quo & ti-
bi & Sidonio posses esculēta cū poculētis in tabernis diuer-
soriis affatim cōparare. DR O. At tu here (inqt) quod te de-
cet facis, & nunq̃ facere destitisti, quod ad officiū boni & libe-
ralis uiri quomōlibet pertinere uidebatur, nūc uero unū est
qđ a te uehemēter peto, quæris qđ sit illud? ut scilicet liceat
nobis uiā carpēto conficere. Sidonius enī quod tute etiā nō
ignoras est male pedatus, quā ob rem mallet carpēto q̃ pe-
dibus uiā conficere. BAR. Non tutū est (inq̃) carpēto uiā
scrupis, stirpibusq; infestā capefsere. Supiori uero anno cū
patriam meā petiturus qđrigas meritorias inscendissē & ad
octauū itineris mei milliariū iam puenissē, carpentū caudi-
cis cuiusdā toro, ad quē sese rotarū orbes offēderāt, subuer-
tebatur, & me euolutū, & excussū, humiq; iacentē inuersū
cooperiebat ac tegebat. Ne uobis qđ simile obtigat magna
cautio est adhibēda, Cōsultius tamē mihi uisum est uos pa-
triā equis q̃ qđrigis petere. Est mihi un⁹ (ut scis) equ⁹ astur-
co, tollutim gradiēs p Sidonio, si esset mihi alter pro te, po-
terit uterq; equo uectari. Vix finē orōni imposui, cū Mega-
dipfus inqt, Bono sis aīo mi here. Est mēdicus qđā circūfo-
raneus in xenodochio habēs asinū clitellariū, solitū gestare
infantes, eius īpositos duab⁹ corbulis hinc & hic depēdulis,
quē exiguo precio (quoniā nudius quart⁹ mansuetiorē pro
infantulis suis gestādis emerat) cōparare posses, & cōpara-
tū exornare phaleris aureis, & fuccatis ephippiis, & purpu-
reis tapetis, & frenis argēteis, & pictilib⁹ balthēis, et tintīna-
bulis pargutis, ut nō uideat̃ esse asin⁹, sed equ⁹ onocéphal⁹,

qui nō magis dedecet Dromonē q̄ olim equus bucephalus
Alexandri illum Macedonū regē. Ehem & quod pene silen-
tio præterierā, is asinus quē memoro, est ad speciē honest⁹,
ad cursum uegetus, & ad uecturā ualidus, Et Dromonē nō
pniciter, uerumetiā molliter puehet, quoniā pbe calciatus
est corneis soleis a magistro artis laternariæ, Nondū hos io-
cos finierat, cum Dromo in hæc uoces prorūpens ait. Abi
in malū cruciatū cū illoc asino clitellario, & desine mihi illu-
dere, alioqui eumenides tenebūt faces, audis hoc asine bipes?
ME. Cur inq̄t mihi obiraſceris? si uon uis asino insidere, insi-
deas alato Persei pegaso. Quid enī mea refert, quo iumēto
resideas, utrū asini dorso, an catti tergo, an pedibus iter capeſ-
sas. Quidqd ego dixerim p̄ cōmodo dictū putato. Verūta-
tamē ut mea fert opinio, satius esset te catti tergo insidere q̄
pedib⁹ iter scruposum æstiuis diebus cōficere, & iter triginē
ex diutino itineris labore cōtrahere. Est mihi cattus pulchel-
lo capite, oculis nigris, auribus acutis, naso decēti, ore minu-
to, mēto raris setis obsito, ceruice crassa, tergo obeso, uentre
mediocriter piecto, cauda pilosa, & in iustā longitudinē ex-
porrecta, pedib⁹ latis, pelle nitēti, femoribus emasculatis, &
ut uno expediā uerbo totus bellul⁹. Illi, si tibi lubet, capistrū
tanq̄ cantherio iniice, & capistratū conscēde, ut nō uidearis
miles asinarius, sed cattarius. Præterea sunt mihi sex imanes
mures, quos muscipula mea ustulatis lardi offulis instructa
intra hoc triduū in cella penaria gaudibūdus cepi, hoc saccu-
lo inclusos in catti pabulū tecū feres, ut pecunias q̄s pro hu-
iusmodi iumēti pabulo expēdes, in peculiū tuū cōferens di-
tior euadas. Eo aut̄ adhuc fabulāte Dromo infrendēs denti-
bus suis pugnū libratū in os eius incussisset, nisi ego medius
intercessissē, & ictū minitātis pugni brachio meo auertissē

dicēs. Heus tu Dromo si qđ dictū est p̄ iocū, nolito in seriū
cōuertere, prācipue illud qđ homo potulētus & animi ip̄os
ceruisiā uitio dixerit. DR O. Non placet inqt in mutū qp̄/
piam cōferri, quod loq non potest, nā ceruisia si fabulari pos
set se defenderet, Sed hoīes minimi precii ilico cōfugiūt ad e/
brietatis accusationē, tanq̄ in aliquod phani asylū, & quæ
pessīe fecerūt, ea non suæ temeritati, sed ebrietati attribuēda
esse dicūt. Sed longe æquius (meo iudicio) esset de huiusce/
modi homībus duplex suppliciū sumere, p̄ duplici uitio, e/
brietatis scilicet & temeritatis. Cui Megadipsus, Ille extra
noxā est cēsendus qđ id facit qđ dii eum facere cogūt, Osiris
cui⁹ numine afflatus sum, cogit me hosce ridiculos iocos in
te effutire. Si esē mentis meæ cōpos, nulla mercede possē
induci, ut unū ridiculum uerbū uel minimū in te congererē,
Tum Dromo inqt, Hercules, cui⁹ ego numie afflatus sum,
cogit me manus in buccas tuas iniicere, & ora tua temeraria
pūgnis contūdere, ut desināt huiusmodi ridicula in me effu/
tire. Ea igit̄ inter eos contētio lōgius p̄ducta fuisset, nisi ego
arbitratus non operæ preciiū esse, easdē has altercatiōes diu
tius audire. Iussi igitur utrūq; obmutescere, & cum dicto in/
ieci manū meam in marsupiū, expromēs uicenos stateres ar
genteos, quos Dromoni pro utriusq; uiatico manibus meis
adnumeraui dicēs. Dromo hic sunt uiceni stateres argentei,
quorū singuli pluris æstimātur q̄ quattuor nummi argentei
nostrates, quos stuferos uocāt. Vide si qđ erit dubiū immu/
tabo, Nondū hosce Dromo in loculos suos demiserat, cum
Parmeno cubiculū introgrediēs adnūciat Philotinū nostrū
cum duobus ministris suis mercenariis, in uestibulo domus
meæ stare, & me ad pinguisimū cerui femur inuitare. Qđ
cū audiui dixi, o Parmeno dic Philotino meo, me e uestigio

ad se uenturū, & ad cœnā secū iturū. Parmenone autē abeūte
ego Dromonē in hæc uerba allocut⁹ sum, sic inq̃ens. O mi
Dromo postera die, Sidonio equitatē tu iter pedibus, quan-
do nō est tibi equus, conficies. haud tu hercle ministerio equi
indiges, quoniā potes (ni fallor) armenias tigres, & parthi-
cas sagittas uelocitate præire, quod noīs tui interpretatio a-
struere uideŕ, Dromo enī cursum sonat, & ne duricies itine-
ris plātas tuas ledat, calcea te illis calceis, quos nudius quar-
tus pitaciis suppegisti, & clauis caligariis suffixisti. Et cū di-
cto cōuerti sermonē meū ad Sidoniū sic inquiēs. O Sidoni
ego sum (ut audisti) cœnaturus cū Philotino meo, qui me
in uestibulo domus meæ operitur, ut una secū ad cœnā per-
gam. Tu uero cū Dromone meo hilares cōuiuas hoc uespe
agetis, archimagirus meus Parmeno suppedabit uobis es-
culentorū abundantia, & pocillator meus Megadipsus, idē
& promus poculentorū affluentia. Vix hæc pfatus fueram,
cū Sidonius surgēs caput suū aperuit, & dextrā meā appre-
hēdit sic dicēs. Iam nūc uolo tibi mi here ualefacere, & grati-
as pro tuis immortalibus beneficiis in me collocatis cū non
possim referre, saltem habere. Si forte crastina die qua hinc
abiturus sum nō daretur mhi ualefaciēdi opportunitas, pos-
sibile est enī me cogi hinc, prius q̃ tute e lecto corripias abi-
re, & iter destinatū capeſsere. Vale igitur mi here, & mihi ut
mācipio tuo impera, Tum ego. Et tu Sidoni uale, & iter de-
stinatū faustis auibus capeſse. Pancratiūq; herū tuum meo
noīe saluere plurimū iubeto, iterū uale, His dictis cubiculo
exceſsi, contēdens festinabūdus in uestibulū domus, in quo
erat (ut supra memorauī) Philotinus meus cū ministris suis
mercenariis, qui cū primū me cōspicatus fuerat, at tu inquit
longas moras nectis, sonuit sextā horā uesp̃tinā, tempus est

cœnâdi, eamus ad ædes meas cœnatũ, affatim cuncta dulci sa-
pore scio sunt p̄ cocta eamus inq̃. HAEC tecũ mi P Ancra-
ci p̄ literas (ut aiũt) iocatus sum. Sed tu forsan iã nũc admi-
raberis, q̃ ego nō dixerim ubiq̃ uerisimilia, neq̃ seruauerim
ubiq̃ in p̄sonis, ac rebus decorũ secundũ pr̄cepta artis ora-
toriae, Itẽq̃ q̃ non seruauerim ubiq̃ breuitatẽ, uenustatẽq̃,
& mundiciẽ comicæ orōnis. Sed nihil est q̃ admireris, si ego
nolim sepium fudes uetustate putridas, purpureis amicire
chlamydulis, aut cassas nuces iuglãdes, aureis inaurare bra-
cteis, olfecisti iam dudũ (ni fallor) quod uelim, quoniã quidẽ
homo es nare sagatiore, q̃ canis uenaticus, immo Hercle q̃
uultur Famelicus. Sed de hac re satis. Cæterũ nosti quibus
& quantis te iam pridẽ oneraui precibus, ut mihi remitteres
Geometriã Euclidis, Theoricã Planetarũ, & Metaphysicẽ
Aristotelis, cũ cõmentariis Thomæ Aquinatis, sed nōdum
curasti remittere, cura igitur prope diem remittas. Vale &
magistrũ Theodericũ uirũ Peripateticis disciplinis appri-
me eruditũ, & Geometriæ nō min⁹ q̃ Arithmeticæ peritũ,
meo nomine plurimũ saluere iubeas, Iterũ uale, ex Dauētia
sexto Idus Iulias. Anno nostræ salutis. M. CCCC. XCVI.

Viennæ Pannoniæ in ædibus Hieronymi Vietoris,
& Ioannis Singrenii. Pridie Nonas Octob.
ANNO DO. M. CCCCC. XII.



UNIVERSITY OF LONDON
WARBURG INSTITUTE